

tim excuso, & pia explicatione mollio. Taceo, quae nuper heic lo-
 corum, candore, quo solet, vere Theologico, eam in rem dis-
 seruit, Praeceptor noster, idemque Patronus, & Amplificator,
 summa animi religione aetatem colendus, Summe Vener. D. D.
 G. WERNSDORFIUS. Non ergo hac, ut credo, Apologia
 Fanaticismi sibi contraxit notam. Id saltem non caret vitio, quod
 Arndtii praetexens defensionem, in ministerium Ecclesiasticum
 omne convitiarum genus evomuerit, & Weigelianismum,
 Schvvenckfeldianismum, & errores, Fanaticis nimium, quan-
 tum, patrocinant, in crustariis. Non nostra haec est prae-
 sumptio. Intueamur modo in *Mysterium iniquitatis pseudo-evange-
 licae*, ab ipso conscriptum. Quod dum sub censuram vocat, M.
 Iac. Werdenbergius, Antistes, & Prof. Hamb. idem, quod nos
 professi sumus, observavit. Ita namque cap. I. p. 21. Ergo, inquit,
*manes Arndtii quiescant, quos Adversarius sua interpretatione, suoque
 patrocinio turbare ausus est. Cum hoc vero mihi imposturum res erit:*
*quia nomen Arndii & aliorum bonorum virorum in praetextum suae im-
 pietatis mala fide usurpans, Ecclesias nostras, Scholas, Academias, ve-
 ramque & solidam eruditionem, & laudabilem iuventutis informatio-
 nem, in Scholis bene constitutis receptam, acerbissime insectatur.* Et
 Cap. III. p. 161. inscripsit, de *Adversarii nostri Weigelianismo, com-
 mercio cum Rosaecrucis, Angelis, & Enthusiasmo.* In quibus haud
 aberrasse Werdenbergium, aegidum, paucis declarabimus. Per
 totum librum nihil aliud agit, quam ut Theologiam, in Acade-
 miis proponi solitam, eiusdemque Doctores, & Professores, ex-
 sibilat & in maximum, quo potest, odium adducat. Eam no-
 minat *literalem, profanam, spuriam, sophisticam, insanam, quae coele-
 stia haud sciret.* Vnde & auctor est p. 99. ut quis post percepta
*Theologiae sanioris elementa, hoc est, post Catechismum & Confessionem
 Augustinam, reliquum tempus legendis Pontificiorum Libris, de vita
 spirituali, & Christiana, insumat. Cuius rei utilitatem suo ipsius ex-
 emplo confirmat.* Hi passim dicuntur *Centauri, Pseudo-Evangelici,
 Pseudo-Prophetae, spurii Theologi, nugatores, rabulae templorum, Chri-
 stianismi hostes, Pneumatomachi, Evangelii mangones, Hypocritae, Chri-
 sti proditores, pseudo literati, AntiChristiani, Homines sanguine & me-
 rito Christi ebrii, Empeetae, Iudae.* Mitto alia convitiarum plau-
 stra,

stra,